

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Artikel: Ao historica quod Calvinus in sua de praedestinatione doctrina sibi semper constet
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394647>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ HISTORICA

Quod CALVINUS in sua de Prædestinatione Doctrina sibi semper constet.

EQuidem nihil magis usitatum est hac nostra ætate, ubi de consensu Doctrinæ nostræ cum eorum Virorum Doctrina, quorum opera Deus in restauranda castæ Religionis veritate usus est, agitur, quam ut quisque sibi nihil non licere existimet, ut omnem erroris suspensionem a se suisque amovendo in eos transferat, atque ita ex aliorum accusatione diversæ suæ opinioni patrocinium quærat, ne manifestus ab illorum Doctrina dissensus sibi fraudi esse possit: In quo tamen ita æqui esse plerunque solent, ut quos accusant, eos simul etiam excusent, & omni culpa vacare doceant, speciose prætexentes eam fuisse temporum, quibus illi vixerunt infelicitatem, eam negotiorum curarumque, quibus fuerint occupati, multitudinem, ut mirum non sit, quod non statim omnem veritatem habuerint perspectam, quod non omnibus pari diligentia intenti subinde in quibusdam a veritate nonnihil aberraverint, quodque per gradus in veritatis cognitione proficientes, sæpe priores suas sententias mutaverint atque retractaverint. Quæ quanquam in se verissima sint, & in ipsa humanæ naturæ imbecillitate certam suam rationem habere non sit dubium; ea tamen sæpe non sine gravissima in hos Viros singulariter a Numine excitatos & variis

variis adversantium calumniis probe exercitos injuria, in iis quoque dogmatibus, quæ clarissime ab illis exposita postera demum ætate varie interpolata & corrupta sunt, jactari & adhiberi, non minus certum, & pronuper in illa de vi & efficacia Sacramentorum causa novo documento comprobatum est: quod quoties ita usu venit, profecto multo iniquior est ipsa accusatione excusatio. Nemo quidem post Pighium, quod sciam, per ducentos fere annos extitit, qui CALVINUM in sua de Prædestinatione Doctrina inconstantia arcessere fuerit ausus. Novissime tamen extitit Vir quidam doctus, qui putat se reperisse in Calvini Libris loca de hoc argumento, quæ parum inter se consentiant, quique, ut suæ causæ serviret, asserere non dubitavit, *Calvinum in prioribus suis Scriptis videri Decreti divini rationes tantum subjectivas concepisse, quia extra Dei voluntatem nihil admiserit, quod eum determinaverit: In posterioribus autem Libris non obscure eum esse professum, Decretum Dei fundamentum esse in ejus Justitia & æquitate, quæ rationes ob- jectivas postulent: Adeoque genuinam Calvini de hoc argumento Doctrinam ex postremis ejus Libris demum recte cognosci ac dijudicari posse, non vero ex prioribus istis, ubi ambigue ejus Sententia & obscurius fuerit proposita.*

Inter priora autem de hoc argumenta ejus Scripta primum referendi sunt *Institutionis Religionis Christianæ Libri*, qui primum an. 1536. sed quoad priores lineas tantum, deinde an. 1539. magis locupletati, an. 1545. autem, judice Jo. Sturmio, absoluti in lucem prodierunt, quanquam deinceps aliquoties adhuc vivo Autore, & novis semper accessionibus aucti fuerint recus, donec an.

1559.

1559. Calvinus huic operi ultimam manum imposuit. Ad hanc Classē quoque pertinet *de Prædestinatione & Providentia Dei Libellus Jo. Calvino Authore*, Genevæ MDL. editus, quem utut nonnemo pro præcipuo & proprio Calvinī Scripto non agnoscat, eo quod ex *Institutionis Libro* sit expressus; eum tamen ego, quod Genevæ, sub Calvinī oculis, sub ejus nomine atque auctoritate seorsim in lucem prodiit, eamque Calvinī Doctrinam sincere repræsentat, quam antea jam in *Institutione* sua exposuerat, minime negligendum aut prætermittendum esse censeo, atque infra ostendam, quanti in ipsa hac Disputatione momenti esse possit.

Ad posteriora autem Scripta, ex quibus Calvinī de divinorum Consiliorum ratione Doctrinam rectius cognosci contendunt, pertinent sequentes Libelli, qui inter *Tractatus theologicos Calvinī II. Partis Classē VI.* constituunt; 1.) *De æterna Dei Prædestinatione & Providentia Consensus Pastorum Genevensis Ecclesiæ a Jo. Calvino expositus.* Scriptus est iste Libellus an. MDLI. vertente, Hieronymi Bolseci causa jam confecta ac profligata: quanquam enim hoc Scriptum directe oppositum sit Alberto Pighio & Georgio Siculo, Bolsecus tamen præcipuam huic Scriptioni occasionem & materiam dedit. 2.) *Brevis Responsio ad diluendas Nebulonis cujusdam Calumnias, quibus Doctrinam de æterna Dei Prædestinatione fœdare conatus est.* Scriptum hoc editum est sub auspiciis anni MDLVIII, ut alibi pluribus docebo. 3.) *Calumniæ Nebulonis cujusdam adversus Doctrinam JOANNIS CALVINI de OCCULTA DEI PROVIDENTIA, & ad eas ejusdem Calvinī Responsio:* Nonis Januariis MDLVIII. scripta.

Ut igitur Calvinum in hac Prædestinationis Doctrina ab omni inconstantis animi aut mutatae Sententiae suspicione absolvam, contra vero eum sibi semper constitisse, & quæ semel in prioribus suis de hoc argumento Scriptis, maxime vero in *Institutione Relig. Christ.* docuerat, nunquam revocasse, sed potius confirmata dedisse, evincam, historico primum argumento utar, eoque gemino, quorum alterum ab ordine temporis, quibus varii Calvini de hac Doctrina Libri & scripti & publicati sunt; alterum vero a disertis testimoniis repetitum est. Et quidem primum argumentorum genus quod adinet, satis constat, *Albertum Pighium* Campensem jam anno MDXLII. Calvinum & Doctrinam ejus de arcano Dei Consilio publice fuisse aggressum; neque dubium est, quin Calvinus proximo tempore, quo suam Religionis Christianæ Institutionem retractavit, ita diligenter in hac Doctrina explicanda fuerit versatus, ut Pighio singulari Libro respondere nihil amplius fuerit opus: (vid. *Consens. Past. Genev. Eccl. de æterna Dei Pr. & Prov.* in principio). Quandoquidem vero jam Libellus, qui Genevæ, sub oculis & nomine Jo. Calvini an. MDL. seorsim editus est, summa fide ex superiore aliqua *Institutionis R. Chr.* editione est exscriptus, annon exinde admodum probabile fit, Calvinum tunc temporis in hac sua Doctrina nihil mutatum voluisse? Quod si deinceps aliquantum a priore sententia recessisset, id juxta eorum, quos hic refello, opinionem factum oportuit intra an. MDL & MDLI. Atqui postremum Calvini de hoc argumento scriptum an. MDLVIII. editum est, Calvinus vero sequente demum anno *Institutionem R. Chr.* ita refinxit & perfecit, ut absolutum

Tom. IV. S tum

tum neque deinceps unquam retractandum opus prodiret. Quapropter quum in postrema hac *Institutionis* editione, ea omnia, quæ in Libello an. MDL. seorsim edito explicata sunt, etiam confirmata legantur, manifestum esse arbitror, Calvinum a prima sua de Consiliorum divinorum rationibus sententia ne latum quidem unguem recessisse, & Calvinì Doctrinam ex hoc *Institutionis* libro, qui omnium postremus est, recte cognosci. Accedo ad alterum argumentum & ostendam; nullam ipsum in postremis suis de hac Doctrina libellis occasionem prætermisisse, qua publice testaretur, se ne latum quidem unguem a pristina sua Sententia discedere, sed eam usque probare ac profiteri. Extat inter Calvinì Epistolas, quæ ordine CXXXIII. est, in causâ *Bolsæ* ab Ecclesiæ Genevensis Ministris ad Fratres suos Ministros Helveticos scripta, quo ut de suo circa hanc Doctrinam sensu constaret, ad *Calvinì Institutionis* Libros provocant: *Tametsi autem, inquit, nostra & publicæ tranquillitatis magnopere interest, quam profite-mur Doctrinam vestro consensu approbari, non est tamen quod fidem vestram multis verbis imploremus. Non ignota est Vobis Fratri nostri Calvinì Institutio, quam hic præcipue suscipit oppugnandam. Quam reverenter ac sobrie illic de arcanis Dei judiciis differat prædicare nihil adtinet: quia satis luculentus per se testis est Liber. Ita in Consensu Pastorum Genev. Eccl. de æterna D. Pr. p. m. 802.* „ Porro, quam vere profitear, „ nonnisi præeunte Dei Verbo me unquam hac „ de re verbum secisse, tametsi ex prioribus meis „ Scriptis, ac præsertim ex mea *Institutione* facile judicabunt pii Lectores; ex hac tamen hostium, „ qui se contra opponunt, refutatione, nonni- „ hil

„ hil novæ lucis accedet. „ Scilicet opposita
juxta se posita magis elucescunt. Ibid. p. m. 825.
a. b. „ Cæterum, etsi absurda quæ hinc inde
„ congerunt hujus Doctrinæ adversarii, ut eam
„ calumniose infament, in mea *Institutione* diluci-
„ de non minus quam succincte refutasse, & si-
„ mul pravis figmentis, quibus se imperiti delu-
„ dunt atque implicant, obviaffe mihi videor.
„ Quia tamen Pyghio responsiones meas arrodere
„ libuit, ejus virulentiam iterum diluere non gra-
„ vabor. „ Et mox iterum : „ Quæ breviter
„ hic delibo, fusius in mea *Institutione explicata re-*
„ perient Lectores. „ Pari etiam modo quum dein-
ceps ad tractationem illius capituli, quod de Pro-
videntia Dei agit, adgreditur, ita præfatur : „ Sed
„ quia argumentum hoc sic me tractasse jam con-
„ fido, ut satisfactum magna ex parte sit sanis &
„ æquis lectoribus, summam ejus qua potero
„ brevitate nunc astringam. - - - Nudis tan-
„ tum verbis quæ uberius in mea *Institutione ex-*
„ posita fuerunt, nunc referam. „ Maxime au-
tem Calvinus hanc mutatæ Sententiæ invidiam a
se amolitur *de occulta Provid.* p. m. 860. a. b.
„ Quantum ad stultos fallendos proficias nescio,
„ sed non timeo, si quis figmenta tua cum *Scriptis*
„ *meis* conferre volet, ne tua improbitas te
„ execrabilem, ut dignus es, reddat. Conten-
„ dis, si Deus amat peccatum, odio habere ju-
„ stitiam, multaque in eandem sententiam addu-
„ cis. Quorsum? nisi ut verbis meis subscri-
„ bas? Sic enim diserte non heri primum aut nudi-
„ us, tertius, sed ante complures annos loquutus sum,
scil. (ut in margine notatum est) *Libr. de æterna*
Dei Prædest. & Providentia, qui ante VII. vel VIII.

annos editus est. „ Percurrant tantum Lectores
 „ quæ subjicio , *immo totam Libelli illius partem* ,
 „ *ubi de Providentia Dei disputo* , & facile deprehen-
 „ dent tuas omnes nebulas satis superque illic esse
 „ discussas. *Adjungant si placet quæ in secundum*
 „ *Actorum caput scripsi.* - - - . Et quidem in eo Li-
 „ bello qui furias istas ex profundis inferis contra me
 „ excitavit , subinde occurrit clara illa distinctio ,
 „ nihil esse iniquius , vel magis præposterum ,
 „ quam Deum trahere in societatem reatus , dum
 „ per manus diaboli & impiorum judicia sua exe-
 „ quitur , quum in ratione agendi nulla sit affini-
 „ tas. Cæterum , *jam ante annos duodecim edi-*
 „ *tum a me opus est* , quod me a putidis istis ca-
 „ lumniis satis superque vindicat : - - - . deliri-
 „ um enim illud , quo jam multos annos fascina-
 „ verant Libertini , monstruosum hominum ge-
 „ nus , quam dextre refutaverim , non jacto.
 „ Certe ex professo causam illam agendam susce-
 „ pi & luculente exposui , Deum peccati non es-
 „ se autorem. „ Istæne hominis fluctuantis aut
 quem prioris Sententiæ serio pœniteat , voces sunt ?
 Quam aliena ergo sunt a Calvini mente hæc com-
 menta & desperatæ causæ *ἡγεμονία* , quasi ex
 posterioribus tantum Calvini Scriptis vera ejus de
 hac Doctrina Sententia cognosci ac dijudicari pos-
 sit : Ut propterea opus sit Calvini de hoc argu-
 mento Scripta juxta temporis rationem in indices
 referre.

At pertendet forte aliquis in ipsis his Calvini
 prioribus & posterioribus de hoc argumento Scri-
 ptis circa rationes Decreti & Consilii divini , utut
 nihil hujusmodi præ se ferat Calvinus , non le-
 vem

vem aliquam Sententiæ mutationem deprehendi, atque quum in prioribus subjectivas tantum rationes admittere videatur, nullamque Dei voluntate superiorem causam agnoscat; in posterioribus tamen eum in rationes objectivas magis propendere, easque a Sapientia & Justitia divina arcessere. Atqui ego, ut hanc suspicionem omnibus præsidis destitutam & contra Calvini mentem confictam esse patefcat, in contrarium demonstrabo, 1.) Calvinum in posterioribus etiam suis de hoc argumento Scriptis constanter docere, non quærendam esse superiorem aliquam divina voluntate Decreti rationem, nihilque extra Dei voluntatem esse concipiendum, quod divina Consilia rexit. 2.) Calvinum etiam in prioribus de hac Doctrina libris, non minus atque deinceps ab eo factum fuerit, urgere ac inculcare, Dei Decretum in optima ratione summaque æquitate, h. e. in Sapientia & Justitia fundatum esse: Ex eo tamen neutiquam confici posse, eum rationes extra Dei Voluntatem objectivas spectasse.

Primum ergo, quod probandum suscipio, est: Calvinum constanter docere, non esse quærendam divina Voluntate superiorem Decreti divini rationem, atque ad id probandum excitabo testimonia ex postremis Calvini Scriptis. In *Consens. Pastorum Eccl. Genev. de æterna Dei Prædest.* p. m. 801. a. *Si Deo sunt injurii, quibus ejus Voluntas omnibus causis potior est; hoc Paulus ante nos tradidit. Cum eo igitur disceptent.* Eod. in Libro p. m. 822. a. Ad hanc Pighii objectionem: (*Rationem cur damnantur impii quærentibus, non ingeritur vox illa tyrannica; Aeterno Dei consilio ab electis fuisse discretos, quia*

Deo placuerit exitio ipsos devovere: ut valeat illud: SIC VOLO, SIC JUBEO: SIT PRO RATIONE VOLUNTAS:) ad hunc modum respondet Calvinus: Si velle se ac jubere pronunciet mortalis homo, ut pro ratione sit sua Voluntas, tyrannicam esse vocem fateor. Sed id ad Deum translatum sacrilegi est furoris: neque enim quicquam Deo immoderatum affingere licet, ut in eo sicut in hominibus exultet libido: Sed merito hoc honoris desertur ejus Voluntati, ut pro ratione valeat, quando omnis Justitiæ fons est ac regula. . . . Quum ergo in summum gradum evehimus Dei Voluntatem, ut sit omni ratione superior, absit ut eum quicquam nisi summa ratione velle imaginemur: Sed simpliciter sentimus, eum jure suo tantum habere potestatis, ut solo ejus nutu contentos esse nos oporteat. At vero priorem hujus testimonii partem, quis crederet, Vir quidam doctus Musei Helv. Partic. VIII. p. 654. in adversæ causæ subsidium advocat, quasi negaret Calvinus, ullo modo in Deum transferri posse illud: Stat pro ratione Voluntas: eosque qui hoc facerent, sacrilegi furoris taxaret: In quo tamen Vir doctus a Calvini mente ac sensu toto cælo aberravit, etenim tantum abest, ut h. l. Calvinus illud: Stat pro ratione Voluntas, in Deum convenire non posse existimet, ut illud potius soli Deo vindicandum, & inter Divinitatis privilegia, summæque Majestatis jura referendum eam ob rationem asseveranter censeat, quoniam sola Dei Voluntas perfecte justa, imo omnis Justitiæ fons ac regula sit. Id ergo sacrilegum furorem esse dicit, non quum Dei Voluntatem pro ratione summa valere affirmatur, sed quum illud: Stat pro ratione Voluntas, ad Deum translatum pro tyrannica voce habetur. Ex quo manifestum est, non

non fieri Calvino injuriam , quum perhibetur ,
hanc esse Doctrinæ ejus summam , ut Dei Volun-
tatem pro suprema ratione Consilii de prædestina-
tione habeat , atque etiam in Deum unice trans-
ferendum esse illud : *Sic volo , sic jubeo , sit pro ra-
tione Voluntas* , statuatur : Sed eos demum injuri-
am facere Calvino , qui ipsi imputant , quasi do-
ceret , Dei Voluntatem in mera & absoluta Po-
tentia , quæ ab omni justitia & æquitate sejuncta
sit , consistere , quum tamen nihil frequentius in-
culcaverit , quam Voluntatem divinam esse omnis
Justitiæ fontem ac regulam. Hanc vero constan-
tem fuisse Calvini Doctrinam , neque ullum ex
Scriptis ejus sive prioribus sive posterioribus lo-
cum produci posse , in quo priorem aliquam aut
superiorem Voluntate Dei causam agnoscat , con-
fidenter assero : & contrarium pluribus adhuc te-
stimoniis confirmabo. In eodem Libello , qui
Pastorum Eccl. Genev. Consensum explicat , p. m.
822. b. hæc legitur disputatio : „ Pergit Pighius
„ ineptiendo , atque ut ostendat *Causam* Deo esse
„ in suis consiliis , responsum , quod discipulis
„ suis dedit Christus , adducit ; *hominem cæcum*
„ *fuisse natum , ut Opera Dei in illo manifestarentur.*
„ Joh. IX. 3. More suo Pighius umbratile cer-
„ tamen sibi fingit. An mihi portentum hoc un-
„ quam venit in mentem , *nullam Deo consilii sui*
„ *rationem constare ?* Dum ego Deum præsidem
„ totius mundi statuo , qui incomprehensibili &
„ mirifico consilio gubernet modereturque om-
„ nia : an illum fortuito huc illuc raptari , vel
„ cæca temeritate eum facere quod facit , quis-
„ quam ex verbis meis colliget ? - - - *Adde*
„ *quod in Causæ nomine fucum Pighius facit , Caus-*

„ sam finalem pro formali in medium afferens. *Et si*
 „ enim quorsum spectet Deus, non est obscurum :
 „ non ideo tamen protinus apparet, *Cur ita fieri*
 „ *deceat.* Hæc autem præsentis instituti summa
 „ est : etiamsi & claris argumentis justitiam nobis
 „ suam non probet Deus, *statuendum tamen esse,*
 „ *quicquid ab eo fit juste fieri : ideo in sola ejus Volun-*
 „ *tate quiescendum esse, ut quod illi placere intelli-*
 „ *mus,* ejus nos causa fugit, instar mille ratio-
 „ num sufficiat. Nimis ergo inepte cavillatur Pighius,
 „ dum me inconstantia insinuat, quia rationem di-
 „ vinæ Voluntatis quærendam esse negans, pro-
 „ nuncio tamen nihil eum velle, nisi quod expe-
 „ dire censet. &c. - - Ubi quæritur, inquit,
 „ sanctus *Augustinus,* cur ita fecerit Deus ? Re-
 „ spondendum est : Quia voluit. Quod si rogan-
 „ do pergas, cur ita voluerit ? Maius aliquid
 „ quæris & sublimius Dei Voluntate, quod inve-
 „ niri non potest. Compescat igitur se humana
 „ temeritas, & quod non est, ne quærat; ne forte
 „ quod est non inveniat. Vere hoc Augustinus,
 „ cui subscripsi. Sed ab his verbis nihil dissen-
 „ taneum continet superior illa sententia : *Quod*
 „ *Dei Voluntas optima sit & æquissima omnium quæ*
 „ *statuit moderatio.* „ Sed quoniam & hic locus
 in contrariæ causæ præsidium Musei Helv. Part.
 VIII. p. 655. sed mutilatus, adducitur, ille no-
 bis paullo diligentius erit considerandus. Primum
 ergo observo, jam olim a Pighio fuisse Calvino
 objectum, quod sibi in Doctrina de ratione divi-
 norum Consiliorum parum recte constaret, cum
 ex una parte quidem assereret, divinæ Volunta-
 tis rationem, a qua Decretum ejus pendeat, nul-
 lam esse; ab altera vero parte concederet, Deo
 consilii

consilii sui rationem constare, nihilque eum velle, aut velle posse, quod expedire sibi non censeat, seu quod idem est, Deo in omnibus suis quamlibet arcanis operibus propositum esse, ut nominis sui gloriam illustret, eumque in omnibus suis factis Gloriæ suæ rationem habere, ut nihil possit velle aut admittere, quod non summa iustitia & æquitate dignum sit. Quid ad hæc Calvinus? An concedit ex eo quod Deus nihil admittat nisi quod Gloriæ suæ expedire censeat; & cujus ratio in summa iustitia & æquitate fundata sit, recte confici posse, dari præter & extra Voluntatem divinam, h. e. sanctissimam, superiorem aliquam divinorum consiliorum causam, quæ Voluntatem flectat atque moderetur? At contra hanc ipsam colligendi rationem acriter disputat, eamque diluit atque refellit, omnemque ambiguitatis aut contradictionis invidiam ab hac sua Doctrina amolitur, atque in hac conclusione persistit, Dei Voluntatem esse supremam, eamque tamen simul optimam & æquissimam, omnium quæ statuat, rationem. Ut adeo mirum sit, potuisse cuiquam in mentem venire ut post publicam hanc constantis animi sententiæ defensionem, eandem hanc inconstantiae objectionem denuo suscitaret. Quoniam vero superior ille locus proprie spectare videtur ad Gubernationis divinæ rationes, age videamus quomodo statim p. m. 824. a. hanc disputationem ad Prædestinationis Doctrinam transferat: *Quomodo autem, inquit, de causa formali loquens, Dei Præscientia & Decreto statutum fuerit, quod de homine futurum erat, neque tamen in culpæ societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel autor sit, vel approbator, quum longe altius humanæ mentis per-*

spicacia esse arcanum palam sit , ne ignorantiam nostram fateri pudeat. Et mox : Vere Augustinus contendit ; humanæ justitiæ modo non esse metiendam divinam. Neque vero silentio præterire me convenit locum illum insignem, qui ejusdem Libelli p. m. 843. a. b. occurrit, ubi dedita opera in id incumbit, ut hanc sententiam, summam & præcipuam rerum omnium causam esse Dei Voluntatem, ab omni detortæ interpretationis calumnia vindicet, atque quemadmodum cum divinorum consiliorum justitia recte consistat, doceat : „ Hæc, inquit, probe „ & sobrie reputanda minime dubium erit, sum- „ mam & præcipuam rerum omnium causam esse Dei „ Voluntatem. Qua enim notitia frænari mentes „ nostras convenit, ne plus quam fas est, quæ- „ rendo intemperanter lasciviant. Durum primo „ statim auditu videtur illud Augustini : Quod Dei „ Voluntas sit rerum necessitas. - - Sed attentius „ rem consideranti asperitas illa facile mitescet. „ - - Atqui omnium quæ geruntur prima causa „ ideo censetur ejus Voluntas, quia naturas a se „ conditas, arbitrio suo ita regit, ut cuncta ho- „ minum consilia & actiones in finem a se præfi- „ xum destinet. - - Memoria quidem repeten- „ dum est, quod ante dixi, nihil nisi optima ra- „ tione facere Deum : Sed quia certissima justitiæ „ regula est ejus Voluntas, nobis præcipua, ut ita lo- „ quar, rationum omnium ratio esse debet. Quis „ enim nisi persuasionem hanc penitus animo in- „ fixam habeat, Justum esse Deum & recta ejus „ opera, in solo ejus placito acquiescet ? Itaque „ Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plau- „ dunt Papales Theologastri, detestor, quod po- „ tentiam absolutam Deo affingit : Solis enim lu- „ cem

cem a calore avellere , immo suum ab igne
 calorem , facilius erit , quam Dei potentiam
 separare a justitia. Faceffant ergo procul a piis
 mentibus monstrosæ illæ speculationes , *plus ali-*
quid Deum posse quam conveniat : vel , eum sine
modo & ratione quicquam agere. Nec vero com-
 mentum illud recipio , *Deum , quia lege solutus*
sit , quicquid agat , reprehensione vacare. Deum
 enim exlegem qui facit , maxima eum Gloriæ
 suæ parte spoliatur , quia rectitudinem ejus ac
 justitiam sepelit. Non quod legi subjectus sit
 Deus , nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis
 enim est inter potentiam ejus ac justitiam sym-
 metria & consensus , ut nihil ab ipso nisi mo-
 deratum , legitimum & regulare prodeat. Huc
 quoque pertinent , quæ statim seq. pagina legun-
 tur : *Ergo quum justa de causa , licet nobis ignota , a*
Domino procedant , quæ scelerate ab hominibus maleficia
perpetrantur ; etiamsi rerum omnium prima causa sit
ejus Voluntas , peccati tamen eum autorem esse nego.
- - - Nam quod homo injuste perpetratur , vel ambitio-
ne , vel avaritia , vel libidine , vel pravo quovis affectu
alio incitatus ; quum Deus justo , licet occulto judicio ,
per manum ejus faciat , non potest in eum quadrare
peccati nomen. - - - Denique talis est Dei agendi ratio
in hominum peccatis , ut quum ad eum ventum est , sua
puritate omnem maculam prorsus abstergat. En quam
 sollicite Calvinus omnes , quæ Dei justitiæ ac
 sanctitati detraherent , calumnias & fictas conse-
 quentias abstergat , ut thesis illa de summa rerum
 omnium causa in Dei Voluntate quærenda illibata
 & inconcussa maneat ! Addo denique colophonis
 loco , luculentum de Calvinii constantia in hac
 Doctrina testimonium ex brevi Responsione ad Nebu-
 lonis

lonis calumnias p. m. 846. a. b. „ Docet quidem
 „ ubique Calvinus nihil fieri nisi volente Deo :
 „ Interea quæ scelerate fiunt ab hominibus, Deum
 „ arcano judicio ita moderari asserit, ne quid
 „ affine habeat hominum vitio. *SUMMA DO-*
 „ *CTRINÆ* ejus est; Deum mirabiliter, & modis
 „ nobis incognitis, in quemcunque vult finem
 „ omnia dirigere, *ut æterna ejus Voluntas prima sit*
 „ *rerum omnium caussa.* Cur autem velit Deus, quod
 „ nobis videtur minime consentaneum, fatetur esse in-
 „ comprehensibile: Ideoque nimis curiose & auda-
 „ cter investigandum esse negat; quoniam judicia
 „ Dei sint abyssus multa & mysteria quæ modu-
 „ lum nostrum superant, reverenter adorare con-
 „ veniat potius, quam excutere. Interea princi-
 „ pium illud retinet: *Quamvis nos ratio consilii lateat,*
 „ *semper tribuendam esse Deo Justitiæ laudem; quia*
 „ *ejus Voluntas summa sit æquitatis regula.* - - Si
 „ quis excipiat, Deum hoc modo fieri peccati
 „ authorem, cum S. Dei Prophetis, atque etiam
 „ cum Spiritu S. litiget. Sed cum piam illam di-
 „ stinctionem tenerent, *sic omnia fieri Deo ordinante,*
 „ *ut tamen rectum sit ac justum quicquid vult & de-*
 „ *cernit,* non dubitarunt eum locare in summo
 „ gradu, qui Satanam & omnes sceleratos arcano
 „ fræno regeret. - - At quia propositum ei est,
 „ abrogare Deo summum imperium, & petulan-
 „ ter sententiam hanc proscindit, *Consilium Deo*
 „ *primam esse rerum omnium caussam,* breviter quas
 „ in medium adducit rationes perstringam. - - Cal-
 „ vino autem & ante eum *Luthero ac Bucero,* pri-
 „ dem etiam *Augustino,* aliisque piis doctoribus
 „ *nihil minus unquam in mentem venit, dum summam*
 „ *omnium quæ in mundo aguntur, Caussam esse præ-*
 „ *dicant*

„ dicant *Dei Voluntatem*, quam Deum illaqueare
 „ aliqua culpa. Passim Calvinus commentum de
 „ absoluta Dei potentia, quod in Scholis suis venti-
 „ lant Sophistæ, acriter repudiat, & detestabile
 „ esse asserit, quia ab æterna Dei Sapientia & Ju-
 „ stitia separari non debeat potestas. „ - - „ Quo-
 „ modo autem occulto judicio moderetur, quæ-
 „ cunque perperam ab hominibus fiunt, nostrum
 „ non est definire, nisi quod statuere oportet, quic-
 „ quid agat, eum nunquam desistere a sua Justitia. „
 Nihil superest, nisi ut ex ultimo Calvinus de hoc
 argumento Scripto, quod de *occulta Dei Providen-*
tia inscribitur, pauca quædam in eandem Senten-
 tiam testimonia proferam: p. m. 854. a. *Utcun-*
que negetis bonum fuisse creari hominem hac lege, ut
 suo lapsu totum mundum statim corrumperet, pronunciat
 tamen Deus hanc rationem sibi placuisse, ideoque esse
 rectissimam. „ Item p. 855. b. *Præscientiam* Deo
 affingitis, qua otiosus e cælo speculetur hominum vitam:
 Deus ipse gubernacula totius mundi sibi vendicans, po-
 tentiam suam a præscientia separari non patitur. Certe
 hæc non mea, sed Augustini est ratiocinatio: Si prævi-
 dit Deus quod fieri volebat, non tenere summum impe-
 rium: itaque statuisse, quid futurum esset, quia
 nihil fieri potuit, nisi eo volente - - Prævidit Deus
 lapsum Adæ: penes ipsum facultas erat prohibendi:
 Noluit. Cur noluerit alia non potest asferri ratio, nisi
 quia alio tendebat ejus *Voluntas*. Et mox p. m.
 856. a. *Voluntas* porro hæc etsi neque aliunde pendet,
 nec aliam habet priorem causam, in optima tamen ratione
 summaque æquitate fundata est. Nam quum legis fræno
 indigeat hominum intemperies; alia est Dei ratio, qui
 sibi ipse lex est, & cujus *Voluntas* regula est optima
 rectitudinis. Quis jam citra gravissimam *παρεργα-*
σίαν

velas calumniam contendere ausit, Calvinum in postremo hoc libello Doctrinam suam de ratione consiliorum divinatorum tantum non retractasse, atque haud obscure profiteri, Voluntatem divinam a Præscientia futurorum contingentium, vel etiam a scientia omnium possibilium, variisque rerum possibilium nexibus fuisse suspensam, adeoque Decretum divinum aliam habere ipsa Voluntate superiorem causam? Quod tamen manifestum est Calvinum constanter ad extremum usque vitæ halitum tanquam a mente sua & ab Apostoli Doctrina prorsus alienum semper rejecisse.

Alterum vero jam, quod probandum suscipio, est: Calvinum in prioribus de hac Doctrina libris perinde atque deinceps ab eo factum est, passim inculcare, Decretum Dei in optima ratione summaque æquitate fundatum esse: adeoque si exinde confici posset, Deum ex Calvini sententia objectivas extra Dei Voluntatem rationes respexisse, idem de prima jam Calvini sententia statuendum foret, quod de emendata ejus sententia in posterioribus libris valere, quidam nobis vellent persuadere. Primum quem produco in hanc sententiam locum, petitus est ex *Calvini Institutione Rel. Christ.* aut si mavis ex ejus *de Prædestinatione & Providentia Dei libello*, qui quidem ex Institutionis Libris expressus, sed an. 1550. seorsim editus est, is autem ita habet: „ Fateor sane in hanc, „ qua hunc illigati sunt, conditionis miseriam, „ Dei Voluntate, decidisse universos filios Adam: „ atque id est quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinæ Voluntatis arbitrium, cujus causa sit in ipso abscondita.

„ fcondita. Sed non protinus fequitur, huic
 „ obtreftationi Deum objacere. Occurremus
 „ enim cum Paulo in hunc modum: *O homo,*
 „ *tu quis es, qui difceptes cum Deo? Num figmen-*
 „ *tum dicit. &c.* Negabunt ita vere defendi Dei
 „ Juftitiam; fed fubterfugium captari, quale ha-
 „ bere folent, qui jufta excufatione deftituuntur.
 „ Quid enim hic aliud dici videtur, quam Deo
 „ efle potentiam, quæ impediri nequeat, quo-
 „ minus prout libitum fuerit quidvis agat? Ve-
 „ rum longe fecus eft. Quæ enim potentior
 „ afferri ratio poteft, quam dum jubemur cogi-
 „ tare, quis fit Deus? Quomodo enim ullam
 „ iniquitatem admitteret, qui judex eft orbis?
 „ Ad Dei naturam fi proprie pertinet judicium
 „ facere: *Juftitiam igitur NATURALITER amat,*
 „ *injuftitiam averfatur.* Proinde non q. depre-
 „ hensus foret Apoftolus ad cuniculos refpectavit;
 „ fed *indicavit altiorem efle Juftitiæ divinæ rationem,*
 „ quam ut vel humano modo metienda fit, vel
 „ humani ingenii tenuitate poffit comprehendere.
 „ Fatetur quidem Apoftolus eam fubefle divinis
 „ judiciis profunditatem, a qua mentes omnes
 „ hominum abforbendæ fint, fi conentur eo pe-
 „ netrare. Sed quam *indignum fit ad eam legem*
 „ *redigere Dei Opera, ut fimul ac eorum ratio nobis*
 „ *non confiterit, improbare audeamus?* Ita p. m. 27.
 „ *Non convenit ut divina Voluntas in controverfiam*
 „ *apud nos defcendat, de qua quoties habetur fermo,*
 „ *fub ipfius nomine SUPREMA JUSTITIÆ REGU-*
 „ *LA nominatur.* „ Nec non p. m. 31. *Lapfus eft*
 „ *primus homo, quia Dominus ita expedire cenfuerat;*
 „ *cur cenfuerit, nos latet. Certum tamen eft, non ali-*
 „ *ter cenfuiſſe, niſi quia videbat nominis fui gloriam me-*
 „ *rita.*

rito illustrari. Ubi mentionem Gloriæ Dei audis, illis
Justitiam cogita: Justum enim esse oportet, quod lau-
dem meretur. Item p. m. 58. „ Quod sibi patefa-
 „ cto Dei verbo non obtemperant reprobi, probe
 „ id in malitiam pravitatemque cordis eorum re-
 „ jicietur; modo simul adjiciatur, ideo in hanc
 „ pravitatem addictos, quia justo, sed inscruta-
 „ bili Dei judicio suscitati sunt, ad Gloriam ejus
 „ sua damnatione illustrandam. „ Et in cap. de Pro-
 vid. p. m. 65. Non cum Stoicis necessitatem commi-
 niscimur ex perpetuo caussarum nexu & implicata qua-
 dam serie, quæ in natura contineatur: Sed Deum con-
 stituimus arbitrum ac moderatorem omnium, qui pro
 sua Sapientia ab ultima æternitate decreverit, quod
 facturus esset, & nunc sua potentia, quod decrevit
 exequatur: Unde ejus Providentia non cælum modo ac
 terram, & creaturas inanimatas, sed hominum etiam
 Consilia & Voluntates gubernari sic asserimus, ut ad
 destinatum ab ea scopum deducantur. De quo tamen
 loco observandum est, quod ad mundi jam creati
 gubernationem proxime spectet.

Quamvis autem Calvinus passim & in prioribus
 & in posterioribus de hoc argumento Scriptis affir-
 maverit, Dei Voluntatem in optima ratione & æqui-
 tate consistere: Deo consilii sui rationem constare: De-
 cretum Dei in Justitia & æquitate fundatum esse: Inde
 tamen nondum conficitur, Calvinum rationes
 objectivas Voluntatem determinantes admisisse,
 atque ipsum divinum Consilium vel a futurorum
 Præscientia, vel a Scientia simplicis intelligentiæ
 seu a prævia Systematum omnium possibilium
 contemplatione atque deliberatione suspendisse.
 Constanter enim huic suo principio inhæret, Vo-
 luntatem

luntatem divinam esse supremam omnium rerum causam, qua prior nulla detur, a qua pendeat: quando-
quidem autem ipsa hæc Voluntas omnis Justitiæ,
æquitatis & rectitudinis fons sit ac regula, hinc in
solum Deum convenire illud: Stat pro ratione Vo-
luntas: Et quoniam Sanctitas & Justitia a Volun-
tate & Potentia Dei sit inseparabilis, nihil illum
decernere aut facere posse, cui non sua ratio con-
stet, & quod non in Justitia & æquitate funda-
tum sit. Hinc quanquam frequenter inculcaverit,
Deum nihil velle nisi quod justum & rectum sit at-
que expedire censeat; nihil agere nisi summa ra-
tione modoque; nusquam tamen Deum ob ra-
tiones, quæ Voluntatem in suis consiliis & decre-
tis regant ac determinent, agere professus est.
Quomodo autem Calvinus hæc distincte animo
informata conceperit & in Systematis concordiam
apud se redegerit, quanquam ratio aliqua, qua
id non inconcinne fieri possit, in promptu sit,
meum tamen non est definire. Non enim hic
quæritur de veritate & soliditate Doctrinæ Calvi-
ni, sed tantum quæ vera ejus & constans fuerit de
hac Doctrina Sententia. Et quanquam etiam possit
aliquis in placitis Calvinii, meditatione distinctius
evolutis, dissensus demonstrari; nondum tamen
constaret, ipsum quoque Calvinum hunc, si qui
fuerit, in suis dogmatibus, dissensum perspectum
habuisse: nisi a posteriori fuerit probatum, eum
pristinam suam Sententiam revera aliqua ex parte
emendasse: quod autem temere & sine ulla ratio-
ne nobis quosdam persuadere voluisse, abunde
ut puto hætenus a me declaratum est. Utrum
vero Calvinus Sententiam suam, si nostra hæc
tempora vivendo attigisset, cum novo illo, quod

Leibnitius commentus est , systemate fuisset commutaturus , otiosa mihi quæstio videtur , quam iis definiendam relinquo , qui majore Scientiæ mediæ vi atque usu pollent.

T A N T U M .



Vin-